

ditionem, sed est prædicatum accidentale. Cæterum in modo ipso informandi, et actuandi esse est maxime intimum, et intrat ad omnia illa, quæ pertinent ad quidditatem rei. Cujus ratio est, quia omnis entitas constituens quidditatem, licet sit actualitas, ex se tamen antecedenter ad esse existentiae est nihil, et in potentia ad essendum extra causas, ergo oportet, quod illa forma, seu actualitas, seu ratio sui ponit extra causas, et tollit hanc potentialitatem intret, et imbibatur intra omnes terminos, et sit constitutiva essentiae, quia in omnibus illis invenit potentialitatem quam tollat, et sic debet actuare in actu secundo magis intime quam quaecumque forma; quia habet tollere potentialitatem magis intimam ponendo extra causas omne illud, quod est in potentia, ut sit extra illas. Aliæ vero formæ, quæ superveniunt essentiae quantumcumque illam actuent, tamen supponunt ejus esse, et sic supponunt aliquid magis intimum. Ipsa vero forma essentialis, licet in constituendo sit magis intima, quam existentia, tamen de se est in potentia, et intra causas ante existentiam. Unde relinquatur, quod ipsa existentia est magis intima in modo informandi per modum actus secundi, et extra causas. Quare acutissime D. Thomas ex majori formalitate ipsius esse super alias formas, quia aliæ sunt formales per modum actus primi, existentia vero per modum actus secundi in essendo, intulit, quod esse est magis intimum, et profundius inest: tum quia respectu formarum essentialium, licet non constituat, tamen omnem earum potentialitatem tollit, et sic intime essentiam actuat in actu secundo, tum quia respectu formarum accidentalium, et supervenientium debet prius supponi existentia, ut recipiantur, ut susten-

tentur. Quare existentia profundissime inest, quia nihil præsupponit, quod non attingat, et ingrediatur, quod si ad aliquid non ingreditur, vel non informat, illud manet nihil, et intra causas. Quod proportionaliter intelligitur de existentia in fieri, et in facto esse.

XII. Ex his ergo perspicuæ fiunt rationes Div. Thomæ quarum efficacia ex argumentorum solutione patebit. Unde ad ea, quæ contra primam rationem objiciuntur, respondetur quod illa propositio: Ubicumque aliquid operatur ibi est, optime intelligitur, quod ibi est vel per se, vel per suam virtutem. Atque ita si virtus fuerit diffusa extra ipsum agens erit effectus conjunctus virtuti, sed non supposito. Si vero operatio exit a virtute, quæ est in ipso supposito, vel quæ est ipsamet substantia agentis, et per virtutem a se diffusam non operatur, tunc ipsa substantia agentis debet esse immediate præsens ipsi effectui, tamquam procedenti a se immediate. Et sic se habet virtus divina ad omnes effectus suos.

XIII. Ad illam propositionem, quæ ponitur secundo loco, scilicet, quod Deus operatur in omnibus, respondemus id intelligi in sensu valde formali, scilicet, quod Deus operatur tamquam Deus, id est, modo universalissimo, et consequenter per virtutem non diffusam extra Deum, sed increatam, et extendentem se ad omnia, ut patet ex probatione subjuncta: *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine.* Unde non petit D. Thomas principium, nec supponit, quod Deus operatur in omnibus immediate supposito, et secundum indistantiam substantiæ, sed id probat, et infert accipiendo pro principio propositionem certissimam, scilicet, quod Deus operatur in omnibus modo universalissimo, et per virtutem in-

creatam, nam si esset virtus extra Deum diffusa, esset aliquid creatum, et consequenter effectus Dei, et consequenter non posset agere modo universalissimo dante totum esse, ita quod per ejus suspensionem posset aliquid annihilari. Si autem Deus operatur in omnibus per virtutem universalissimam, quia omnia, et unumquodque potest annihilare, necesse est, quod in omnibus, et in unaquaque re operetur per virtutem increatam, et non per virtutem a se diffusam, hæc enim creata esse debet hoc ipso, quod est extra Deum, alias esset talis, quod creare posset, vel per ejus suspensionem aliquid annihilari, operatur autem Deus in omnibus per talem virtutem, quod ejus suspensio est annihilatio. Ergo oportet, quod in omnibus, et in unoquoque sit virtus increata, atque adeo substantia Dei sit præsens, quia ab ea, et non per virtutem diffusam extra Deum, quæ creata est, Deus influit esse in omnibus. Quare ratio D. Thomæ non debet præsupponere immediationem virtutis, vel suppositi, sed probare immediationem suppositi ex universalissimo modo agendi. Et sic in majori illius primæ rationis, ubicumque aliquid operatur ea virtute a qua immediate exit effectus. In minori autem cum dicit, Deus operatur in omnibus, intelligitur, quod operatur in omnibus virtute increata, et non extra se diffusa, eo quod operatur virtute universalissima, quæ ita influit esse, quod ex ejus suspensione aliquid potest annihilari.

XIV. Ad ea quæ contra secundam rationem objiciuntur. Ad primum respondetur, non committi equivocationem in illo syllogismo, quia in majori intelligitur omne agens esse conjunctum ei, in quod operatur, sive sit subjectum, sive effectus immediatus, ut statim ostendemus. Et ideo potuit in minori subsumere de

conjunctione agentis cum effectu immediato, et præsertim, quia in agente increato, de quo subsumit in minori, nihil poni potest ut passum, quod non sit etiam effectus, quia etiam ipsa materia prima est effectus Dei. Recte ergo D. Thomas subsumit de agente conjuncto effectui, quia subsumit de agente increato.

XV. Ad secundum respondetur quod illa propositio ut assumitur a D. Thoma non intelligitur solum de agente corporeo, vel limitato, ut putavit Scotus in II, dist. xxxvii, quæstione unica et Vazquez, I p. disput. xxviii, cap. III et alii, sed intelligitur de omni agente; in quo tamen consideratur duplex conjunctio, scilicet ad passum, et ad effectum. Et prima requiritur, ut conditio necessaria ad agendum, et antecedit operationem in his, quæ agunt dependenter a materia, secunda vero sequitur ad operationem. Et prima fundatur in limitatione, et dependentia agentis a subjecto. Secunda vero in ipsa dependentia effectus ab agente. Cum enim agens creatum non agat nisi actione eductiva, non creativa, oportet, quod actio ipsa, et effectus ejus ita egrediantur ab agente, quod etiam egrediantur dependenter a materia, seu subjecto, unde educuntur, et in ipsa egressione prærequiritur conjunctio agentis cum passo, alias non egrederetur effectus, ut receptus in materia. Quod si agens operatur per virtutem a se diffusam, cum talis virtus sit etiam effectus agentis, non potest talis virtus exire, nisi ut recepta in aliquo subjecto, et ut educta ab illo, et ita quando incipit diffundi virtus, jam præsupponitur aliquod subjectum conjunctum agenti, ex quo educatur. Et in hoc verificatur sententia Sæcti, quod conjunctio agentis ad passum procedit in agente limitato dependente in operando a materia. Cæterum conjunctio agen-

tis cum effectu, ut effectus est, non fundatur in limitatione agentis, et dependentiæ ejus a materia, sed in ipsa dependentia effectus ab agente, eo quod petit effectus immediate procedens ab aliqua causa, immediate illi conjungi in sua egressione.

XVI. Ex quo sequitur, quod in agentibus in operando a subjecto, non sumitur major perfectio virtutis per hoc, quod possit attingere distans priusquam propinquum, sed per hoc, quod per plura media possit diffundi virtus a se emissa, quia tunc majorem sphaeram habet, dum tamen in quacumque parte diffundatur illa virtus, aut producat effectus semper supponatur conjunctio cum materia, quia per actionem eductivam fit. Agens autem non dependens a materia in agendo, sed solum operans in effectum, quia omnia etiam materialia comparantur ad ipsum, ut effectus, petit immediate a conjunctionem cum omnibus, quia in omnibus influit per virtutem non extra se diffusam, sed per virtutem, quæ est ipsemet, quia universalissimo modo influit esse.

XVII. Sequitur secundo, quod licet Aristoteles tradiderit illam propositionem: Omne agens oportet esse conjunctum, etc. tractando de agente corporeo, tamen ejus ratio universalior est, quam respectu agentis corporei, sicut etiam sentit m. Curiel in suis opusculis, contrav. v, artic. II, n. XII. Neque enim dicit Aristoteles quod agens et passum debent esse simul, sed quod movens et motum, movens autem non solum dicit agens applicatum ad agendum, sed etiam immutans, et operans actu. Et similiter ly motum non solum dicit passum conjunctum agenti, sed immutatum ab ipso. Unde ratio Aristotelis tam de conjunctione agentis ad passum, quam de conjunctione operationis ad effectum procedit. Et sic intellecta est a

D. Thoma respectu omnis agentis, sive operetur dependenter a materia, sive non, quia in omni agente necessario debet poni conjunctio, vel cum passo immediato, vel cum effectu immediato. Et sic non verificatur solum in contactu quantitativo, qui est inter agens, et passum, sed etiam in contactu virtutis, et operationis ad effectum, non enim stat effectum egredi ab agente, virtute ejus, et esse absentem, seu distantem ab ipsa operatione, et virtute.

XVIII. Ad confirmationem secundi argumenti respondetur convincere, quod agens independens in operando a passo non requirit conjunctionem antecedenter se habentem ad operationem, non tamen convincit non requirere conjunctionem virtutis, seu operationis cum effectu immediato, quæ consequitur ad ipsam operationem, quia est ad effectum, et ita tale agens non prius est conjunctum, quam operetur, sed sua operatione fundat conjunctionem cum effectu immediato, ut articulo tertio dicitur.

XIX. Ad tertium respondetur ex dictis D. Thomæ non supponere, sed probare Deum esse immediatum immediatione suppositi, seu indistantem a qualibet re, hoc enim est intentum ab ipso, et ita illa propositio assumpta: Omne agens debet esse conjunctum in id, in quod immediate agit, intelligitur de conjunctione ad aliquid immediatum tamquam ad passum, vel tamquam ad effectum immediatum. Unde subsumendo de agente respectu cujus omnia comparantur ut effectus, quia est universalissimum, et modo etiam universalissimo agit, concluditur, quod talis virtus non debet esse indistans, et diffusa extra se, alias non operatur universalissimo modo, sed debet esse intra ipsum, vel ipsamet substantia ejus. Unde oportet,

quod omni effectui immediata sit talis virtus, quia omnis effectus universalissimo modo dependet a Deo, neque in virtute creata potest inveniri, quod effectus ita universaliter dependeat ad illa in suo esse.

XX. Ad quartum respondetur, primo, quod per ly esse rei, quod est intimum, non solum intelligitur esse existentiæ, sed etiam esse essentiæ, et in universum de omni eo, quod habet rationem entis participati a Deo, de quo dicemus sequenti articulo. Et sic argumentum non habet vim, neque illa consequentia instatur, quia si creatura producit essentiam rei, quæ est illi intima modo eductivo, tamen Deus illam producit modo creativo, vel conservat modo universalissimo, ita quod per suspensionem illius influxus potest res annihilari, et ita magis intime, et profunde operatur quam agens creatum. Secundo, respondetur, quod illa consequentia Div. Thomæ non infertur præcise ex illo antecedenti esse magis intimum, etc. sed etiam ex alio, quod esse est proprius effectus Dei, quatenus derivatur per influxum, et participationem immediatam in effectum, sic enim ex isto secundo antecedenti recte infertur illa consequentia, esse participatur per influxum, et derivationem a Deo, sicut ignitum ab igne, sed ipsum esse, seu existentiæ est intima rei in informando, licet non in constituendo, ergo Deus ut influens talem formam, et esse influxu universalissimo per cujus suspensionem potest totaliter annihilari, est intimus in ratione agentis cujuscumque rei. Et hoc sumitur ex Div. Thomæ in IV contra gent. c. XVII, ratione XXII, ubi probat nullam creaturam spiritualem infundi, seu illabi alteri, quia creatura non est participabilis, sed participans esse. Ratio ergo quare Deus infunditur, et intime est in creatura non est so-

lum, quia esse est intimum, sed quia illud esse procedit a Deo tamquam a principio influente modo universalissimo totum esse, ita quod per suspensionem talis influxus annihilari possit. Et sic non instatur consequentia in processu ab agente creato.

XXI. Et ad replicam, quæ fit contra hoc de sole, qui est agens universale, et per influxum producit lucem, et tamen non est intimus illi, respondetur, quod participari aliquam formam ab altera stat dupliciter: uno modo per totalem, et omnimodam participationem a tali agente, ita quod in illa non dependeat ab altero etiam ut a subjecto. Alio modo per dependentiam quidem ab agente, sed simul etiam a subjecto, quia est agens dependens ab illo in agendo. Et tunc non est simplex participatio, sed conjuncta transmutationi. Igitur illa forma, quæ primo modo participatur, impossibile est, quod distet ab agente, a quo participatur, quia secundum totum esse derivatur ab illo, et consequenter secundum modum operandi ita universalem, quod per ejus suspensionem annihilari potest, quod non potest competere, nisi virtuti increatæ, et non alicui virtuti diffusæ extra Deum, ut sæpe dictum est. At vero forma, quæ secundo modo derivatur, licet dependeat ab agente in fieri, et conservari, tamen derivatur ab ipso, et producit per actionem eductivam, ideo potest per virtutem extra se diffusam talis effectus derivari, quia non quantum ad totum esse, et secundum omnem dependentiam participatur ab ipso. Unde sufficit virtus recepta in materia, et diffusa extra se ad talem effectum producendum, et sic non sequitur, quod ipsamet substantia agentis sit intima ipsi effectui.

XXII. Et ex hoc soluta manet ultima replica argumenti: necesse est enim, ut agens universalissimum

non solum extrinsece assistat effectui a se producto, sed intime sit in illo, quia ipsum esse, quod est intimum in effectu derivatur universalissimo modo, et secundum omnimodam dependentiam a Deo, et non per solam immutationem subjecti, sed per talem influxum, quod ejus suspensio sit annihilatio, et ideo non sufficit contactus extrinsecus ad talem effectum, sed intimus. Unde totum quod est in effectus, tam externum, quam intimum universalissimo modo est a Deo.

XXIII. Ad ultimum respondetur satis ostensum esse in præcedentibus, quod Deus proprie non potest agere per virtutem a se diffusam, quia virtus diffusa est effectus Dei, et aliquid creatum, et a tali virtute creata non potest procedere aliquis influxus totius esse, taliter quod ejus suspensio sit annihilatio.

XXIV. Et ad id, quod objicitur de virtute instrumenti moti a Deo, vel virtute, qua Deus movet causam secundam, respondetur hanc virtutem non esse illam, qua Deus operatur ex parte sua modo universalissimo, sed esse virtutem, quæ simul est effectus, qua causa inferior, vel instrumentum actuatur a causa superiori, quia causa subordinata alteri in agendo, sive sit principalis sive instrumentalis non potest operari, nisi ex motione talis causæ. Sed tamen hæc virtus cum sit recepta in causa inferiori non est ipsa virtus Dei, sed effectus ejus. Et licet instrumentum per talem virtutem possit operari effectum proprium virtutis infinitæ Dei, sicut suscitare mortuum, aut producere gratiam, non tamen potest producere effectum proprium virtutis infinitæ ex parte modi universalissimi operandi, quia virtus universalissimo modo procedens non potest esse, nisi increata. Si autem sit recepta, et modificata in aliquo creato, hoc ip-

so habet limitatum modum procedendi, nec potest dare totum esse, ita quod per ejus suspensionem aliquid annihiletur, bene tamen poterit communicari virtus ad quemcumque effectum per transmutationem, et actionem eductivam faciendum, et sic potest Deus uti creatura, tamquam instrumento ad resuscitandum mortuum, vel producendum gratiam, quia utrumque fit per transmutationem alicujus subjecti, vel materiæ, non tamen poterit uti instrumento ad creandum, vel annihilandum, ut docet D. Thomas I p. q. XLV, ar. v et III p. q. XIII, ar. II. Unde præter virtutem quam Deus imprimi instrumento ad producendum gratiam, vel alium effectum requiritur, quod in ipsum effectum influat immediate per se ipsum conservando illum in esse tali influxu, quod per ejus suspensionem possit annihilari, et istam conservationem non potest Deus facere mediante instrumento, vel virtute aliqua creata diffusa extra se, ut ostensum est, licet possit primo educere de subjecto aliquam formam superiorem mediante instrumento creato.

XXV. Quod si inquiras, ad quid ergo deservit illa communis distinctio de agente immediato immediate virtutis, vel suppositi, respondetur per hanc distinctionem designari conjunctionem agentis cum subjecto, vel effectu, quod dupliciter fieri potest, uno modo, quia ipsa substantia, vel suppositum agentis ita est conjunctum passo, vel effectui, quod non mediat alia substantia, vel suppositum; alio modo quia virtus agentis ita conjungitur passo, vel effectui, quod non mediat alia virtus, ita quod non agit in virtute alterius, etiamsi mediet alia substantia, vel suppositum, per quod diffundatur illa virtus. Unde nihil aliud est immediatio virtutis, quam

quod virtus agentis sit propria illius, et immediate illi conveniens, licet extra se derivetur per aliquod subjectum, seu spatium, sicut sol agit in ista inferiora immediate virtutis, et non suppositi, quia ejus substantia non est conjuncta istis inferioribus, bene tamen virtus, quæ est propria, et immediata solis derivatur ad hæc inferiora, et mediante illa agit. Ignis vero generans alium ignem in materia sibi proxima per suam substantiam, et per suam virtutem illi conjungitur. In Deo autem ex ipsa immediate virtutis qua agit, optime colligitur, et non solum supponitur immediatio, et indistantia suppositi, quia ita operatur universalissimo modo in omnes res, quod omnes sunt effectus ejus dependentes ab eo quoad influxum ipsius esse, ita quod per suspensionem ejus possunt annihilari, et virtus sic influxiva, et annihilativa non potest esse creata, et extra Deum diffusa, sed ipsa substantia Dei, et sic immediatio talis virtutis, et suppositi in Deo est idem. Et licet concurrat cum causis creatis imprimendo illis virtutem, quæ est recepta in illis, tamen præter hoc etiam in ipsum effectum debet influere ad conservandum illum in esse, et idem facit in omnia alia entia, quia omnia sunt effectus ejus, et talis influxus facit Deum esse indistantem a quacumque creatura.

ARTICULUS II.

Utrum esse sit proprius effectus Dei?

I. Ratio dubitandi ad hoc reducitur, quia agens creatum vere, et proprie producit suos effectus, alias incideremus in absurditatem illorum qui dicebant causas secundas nihil omnino agere, sed Deum ad illarum præsentiam, ergo vel causæ secundæ producunt ali-

quid, vel nihil non agunt; si aliquid, ergo ponunt rem extra causas, cui autem convenit ponere rem extra causas convenit existentiam producere, quia effectus formalis existentiae est ponere rem extra causas. Cui ergo convenit effective facere talem effectum formalem, effective convenit facere ejus formam, sicut cui convenit facere effective album, effective convenit attingere id, quo aliquid est album.

II. Nec potest dici, quod agentia creata non producant existentiam, sed uniunt illam essentiæ, et hoc sufficit, ut dicantur producere rem in esse, sicut homo generans hominem non producit formam, sed unit illam. Contra enim est, tum quia ipsa unio debet produci a causa secunda, alias si nec unionem produceret, nihil produceret, ergo saltem ipsi unioni productæ debet dare esse. Quod si dat unioni, cur non aliis entitatibus? Tum quia existentia non potest uniri, sicut aliæ formæ, quia omnis unio formæ creatæ, vel est per inhærentiam, vel per dependentiam a subjecto, quam Deus potest supplere separando formam a subjecto. Existentia autem neque est forma informans, neque inhærens, alias non posset Deus existentiam creatam per suam supplere, quod negat D. Thomas III p. q. XVII, art. II et posset conservare existentiam sine essentiâ, quod tamen stare non potest. Et hoc ideo est, quia existentia non habet speciem, et limitationem, nisi per principia ipsius essentiæ, ad quam pertinet reductive, de se enim correspondet enti, ut ens est, ergo non dicit entitatem se orsum constitutam, et unibilem ipsi essentiæ ad modum formæ supervenientis, vel inhærentis, ut bene notat Cajetanus super caput IV de ent. et essent. qu. V. Forma autem humana ideo unitur a generan-